

I.  
*Usus & Emphaseos vocum evolutio  
 & textus expositio.*

§. I.



Vando hæc actio Antiochena Pauli cum Petro contigerit, non omnino certum est; Augustinus quidem Epistola XIX. quæ est ad Hieronymum existimat, antecessisse illam synodum Hierosolymitanam, sed hanc ea fuisse priorem, videtur postulare ordo narrationis Paulinæ. Patet etiam ex Actor. XV. 22. Paulum cum Barnaba soluto Concilio Apostolorum cum literis Synodicis ad confirmandam Ecclesiam Antiochiam esse reversum. Indicat autem Apostolus v. 11. *Primo personam*, cum qua ipsi certamen fuerit, inquit; *Cum autem venisset Petrus.* &c. Non fuisse autem Petrum, cujus hic mentio fit, Petrum Apostolum, sed alium quempiam ex LXX. Christi discipulis opinati sunt quidam Veteres, ut Clemens Alexandrinus apud Eusebium Lib. I. Histor. Eccles. cap. 12. Dorotheus in Synopsi, itemque Oecumenius in Collectaneis Explanationum h. l. Discuperent plerique Papistæ, renovari hunc veterem errorem, dum suo gratificarentur Pontifici Rom. Sed illum erudite & potenter convellit Hieronymus, fatente ipso Spondano, Baronii breviatore, qui a reliquis Pontificiis hac in parte recedit, inquit: *Hæc nec olim placere Hieronymo, nec nunc nobis.* Commentum hoc ineptam tergiversationem Aretius in Com. h. l. & fabellam, quæ omni fundamento careat B. Balduinus in h. t. appellare non dubitant, cum totus contextus ostendat, non de alio, quam de Petro Apostolo sermonem esse. Nec alium sive Petrum sive Cepham novit tota S. Scriptura. Apostolo Paulo quoque non erat constitutum, conferre se cum quodam ex LXX. discipulorum numero, sed cum ipso Petro Apostolo, a quo se nihil didicisse, nec ipsi in officio suo ulla ex parte cedere, in hac ipsa Actio-

A 3

ne